

Dente Theonino rabieque momordit amarā
 Longe ultra legem senior Juvenalis honesti?
 Perlege vatis opus, nostrique ediscito ab illo
 Temporis historiam: modo tantum nomina mutes,
 Res eadem mansit, rerum et mansere colores. 85

Visne haec ut repetam rursum, crambemque recoctam.
 Apponam, et stomachum moveam bilemque legenti?
 Quid, quod et haec altis animo radicibus haeret
 Dira filix, satyris et desperanda Poetis,
 Neu ferro, sed vix igni cessura? Minores 90

Decertemus, age, e multis evellere spinas
 Paulatim, tortis quae non ita plexibus haerent,
 Vellentisque manum facile, digitosque sequentur.
 Quippe aliis inhians non istis nostra libido
 Indiget urticis, quas non natura creavit: 95

Atque adeo caecae vanissima somnia mentis
 Et deliria sunt nulli cedentia monstro,
 Exemplo quaecumque malo jam publicus usus
 Sancivit, servumque pecus formidine risus
 In vitam invexit. Tota haec de matre supelleret 100

Stultitiā est, Risu arguto compesce superbam
 Stultitiam: solo malesana superbia risu
 Frangitur: hanc tu ridiculam per compita trāduc,
 Per vicos, depectendamque dicacibus offer,
 Ut sibi ne placeat, rideri ubi coeperit, atque 105

Monstrari digito, quam intus sit turpis et excors.

Hinc mihi non famoso incessere carmine quemquam
 Mens est, aut opprobria rustica fundere, multo
 Ut yino solet aut yappa prolatus agaso.